



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 16. De trium personarum circuminsessione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Cap. X V I. De trium personarum circuminfessione.

alia terminus, vel (quod idem est) vna habet suum esse sine origine, alia vero non sine illa. Iuxta hanc ergo prioritatem solam dantur in diuinis personis. Prima, secunda, & tertia, & ideo hæ denominationes nihil repugnant æqualitati. Iam enim supra ostensum est, distinctionem in relationibus originis non minuere, neque augere personarum perfectionem.

8. Solet autem hoc loco vterius quari, an hæc similitudo, vel æqualitas inter diuinas personas sit relatio realis, vel rationis. De qua questione Thomista multa scribunt. Quia Diuus Thomas questione 42. articulo 1. docet, esse tantum relationem rationis. Quod Caietanus optime ibi declarat, & defendit, & Capreol. in 1. distinct. 31. questione 2. Vbi etiam Durandus, Gabriel, & alij, & Martilius in 1. questione 33. Scotus autem eadem distinct. 31. quæ. 2. & quodlib. 6. art. 2. contendit esse relationem realem. Quia in diuinis personis concurrunt omnia necessaria, vt hæc relatio realis sit, scilicet, fundamentum, & terminus realis, & extrema realiter distincta. Item quia alias non dicerentur diuina persona in re ipsa similes, & æquales, sed solum cogitatione hominis. Hæc vero argumenta re vera non cogunt: nam hæc denominationes non semper sumuntur formaliter à relatione, sed à fundamento, quod in rebus ipsis existit, & nobis occasionem præbet ad talem relationem excogitandam. Hoc autem fundamentum in presenti est vnitatis perfecta eiusdem naturæ in singulis personis. Ex hac ergo vnitatis prouenit, vt talis relatio non possit esse realis. Quia præter ea, quæ Scotus numerat, necesse est, vt inter fundamentum, & terminum formalem relationis sit distinctio in re ipsa: maxime in his relationibus vnitatis, in quibus habitu potissime cernitur inter ipsas formas, in quibus est similitudo, vel æqualitas, vt recte Caietanus aduertit, & ideo vbi est vna, & eadem forma in vtroque extremo, non potest esse huiusmodi realis habitudo, quia illa potius est identitas realis, & numerica. Quapropter prior sententia simpliciter vera est. De qua re hæc nunc sufficiunt, reliqua enim philosophica sunt, & à nobis tractata in disputatione quadragesima septima, Metaphys. section. 9.

9. Vnum vero hic potest obijci, quia inter diuinas relationes non solum est æqualitas ratione perfectionis essentialis, sed etiam ratione perfectionis reatiuæ, vt supra dixi, sed illa perfectio reatiua est distincta realiter in vna, & alia persona, ergo æqualitas in illa habet omnem distinctionem necessariam ad realem relationem. Ad hoc fortasse aliquis respondebit, hanc relationem non posse esse realem, quia non potest vna relatio fundari in alia. Sed de hoc alias. Ego respondeo, illam non esse realem, quia illa non est æqualitas fundata in vnitatis, vel conuenientia formali, sed in quadam proportionali æstimatione, seu quantitate. Sicut aliquis similitudo, quæ est inter diuinas personas in communi ratione personarum, vel relationis, non est relatio realis, quia non est per conuenientiam in tota vnitatis formali talium personarum. Propter quod Anasilias Synaita, in expositione fidei Personarum in proprijs dissimiles appellauit: in æquales autem dici non possunt, tum quia hoc dicit imperfectionem, tum propter rationes alias supra allatas.

CAPVT XVI.

An Diuina personæ ex vnitatis habeant circuminfessionem, id est, mutuam existentiam vnam in alia.

Hæc est vltima proprietas continens diuinis personis, quatenus vnum sunt, quam Theolo. Suarez: de Deo trinuno.

gi circuminfessionem vocant. Habetque fundamentum in verbis illis Ioannis decimo quarto cap. Ego in Patre & Pater in me est. Quæ licet de Patre, & Filio tantum dicta sint, tamen eadem ratione de Spiritu sancto vera sunt, vt communiter Patres docent, Athanasius in expositione fidei, vbi in hoc sensu dixit: Spiritus sanctus semper est in manibus Patris, & Filij. Et Damascenus libro primo de fide, capite decimo, eodem sensu vocat Spiritum sanctum, Inseparabilem, & indigressibilem à Patre, & Filio. Et hanc mutuam immanentiam ibidem late, & eleganter exponit. Denique Fulgentius de fide ad Petrum, capite primo, Per hanc (inquit) vnitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritus sancto, totus Filius in Patre & Spiritu sancto est, & totus Spiritus sanctus in Patre, & Filio.

Hæcigitur veritate supposita, nonnulla circa illam declaranda sunt. Primum est, an veritas, & identitas Personarum in essentia sit ad æquata ratio huiusmodi mutæ inexistentiæ. Est autem dubitandi ratio, quia Diuus Thomas 1. parte, questione quadragesima secunda, articulo quinto, sentit, non esse ad æquatam. Nam duas alias rationes addit, scilicet, relationem mutuam, & modum originis. Aureolus vero & Durandus in 1. distinct. 19. sentiunt solam essentiam vnitatis esse rationem ad æquatam circuminfessionis personarum, ideoque duas alias rationes D. Thom. impugnant. Vt autem recte notauit Caiet. circa d. artic. non impugnant mentem D. Thom. & ita facile dissoluit ipse, quæ illi obijciunt.

Videtur ergo voluisse Diuus Thomas ad diuinas personas accommodare illos tres modos, quibus ipse dixerat 1. parte, questione 8. artic. 3. Deum esse in omnibus rebus, scilicet, per præsentiam, potentiam, & essentiam, seclusis imperfectionibus. Vnde quoad primum modum dicit, Diuinas personas esse in se inuicem: quia correlatiuæ sunt: nam vnum relatiuum nõ potest extra aliud esse, vtique quoad cognitionem. De hoc enim genere inexistentiæ aperte loquitur Doctor sanctus in illa ratione. Quam tetigit etiam Chryostomus in oratione nona, ex his, quæ habentur in fine quinti tomi, vbi ait. Hanc inexistentiã non esse intelligendam corporaliter, sed secundum animi contemplationem, quia nec Filius (inquit) sine Patre, nec Pater sine Filio cognoscitur. Nec videtur hæc ratio aliena à contextu sermõnis Christi in citato loco Ioannis 14. Nam cum Philippus postulasset. Ostendite nobis Patrem, Ioann. 14. Christus respondit. Qui videt me, videt & Patrem, & immediate quasi pro ratione subdit. Quia ego in Patre, & Pater in me est.

Ad secundum modum inexistendi pertinet altera ratio Diui Thomæ cum dicit, vnam personam esse in alia, verbi gratia, Filium in Patre, quia ab illo productus est per actum immanentem: nam de ratione talis actus est, vt productum ratione productionis maneat in producente. Quam rationem indicauit etiam Damascenus libro primo, de fide capite nono, vbi comparat hanc productionem emanationi lucis ab igne, quia lux, inquit, ab igne gignitur, & ab eo non separatur, sed semper in eo est. Quod exemplum intelligentum videtur de emanatione lucis in hærentis igni à substantia eius, sic enim illa est veluti immanens processio. Quod idemmet Damascenus significauit in differentia quam subiungit, nam lux, ait, manet in igne tanquam accidens inherens illi: Verbum autem manet in Patre, tanquam subsistens in subsistente: Quod etiam dixit Hilarius libro septimo de Trinitate circa finem.

Nec Durandus habuit, quo modo hunc dicendi modum impugnaret, nisi negando, personas procedere per actus immanentes, cuius error in hoc supra refutatus est. Aureolus vero apparentius obijcit: quia licet hoc modo explicetur, productam personam esse in producente, non tamen è conuerso, producentem esse in producta, cum tamen hæc debeat esse circuminfessio. Hoc vero facile

N n 3 etiam

Ioann. 14

Quæ sit adæquata ratio circuminfessionis.

Vna persona est in alia ratione relationis.

Ioann. 14

Personæ sunt in se inuicem ratione productionis.

etiam soluitur: nam sicut Deus dicitur esse in creaturis, ratione potentia, quia illas creat, & conseruat, ita seclusa imperfectione dependentia, Pater dicitur esse in Filio, quia illum ex aeternitate produxit, & perpetuo generat, ad quod necessarium est, vt sit in time in illo, & ideo dixi, hunc modum existendi, esse simile illi, qui est per potentiam, seclusis imperfectio- nibus.

6. *Vnitatis essentia est circumsessio personis.*

Tertia vero, & propria ratio huius existentia est vnitatis essentia in personis distinctis. Vnde respon- dendo in forma ad propositam interrogationem. Dicendum est, vnitatem naturae esse adaequatam rationem, ob quam Diuinae personae sunt in se inuicem per suam essentiam, licet alijs modis possint dici esse in se inuicem, ob alias rationes. Haec posterior pars satis iam declarata est. Prior vero facile ostenditur, nam vnaquaeque persona est ipsa essentia, & essentia est in omnibus, & singulis personis, ergo vnaquae- que persona est in qualibet alia. Dices, simili argu- menti modo posse concludi, vnamquamque per- sonam esse in se ipsa, vel vnam personam esse aliam. Respondeo, negando similitudinem: nam cum dicitur esse in alia, non solum denotatur vnitatis naturae, sed presupponitur etiam distinctio inter ea, quae in se inuicem esse dicuntur. Quia non solum considerati- one rationis, sed etiam in re ipsa vna est in alia. Quae habitudo tollitur, si persona dicatur esse in se. Et multo magis destruitur, si dicatur vna esse alia, quia per hoc non significatur praesentia, vel inexistencia, sed identitas personalis, quae repugnat mysterio.

7.

Atque hac ratione recte dicit Sabadius libro con- tra Arium in 4. tom. Biblioth. Per illa verba Chri- sti, Ego in Patre, & Pater in me est, duos errores confuta- ri, Sabellij scilicet, & Arii. Et Gregorius Beticus libr. de fide, & Trinitate dicit, illa verba audienda esse secundum indifferentiam substantiae. Supposita scilicet distinctio- ne personarum. Et eodem modo Trinitatis mysterium confirmat ex illis verbis Irenaeus libro quinto, capite decimo octauo, sic etiam Hilarius 7. de Trinitate in fi- ne dicit, Personae diuinae esse in se per vnitatem & proprietatem naturae. Et eodem modo loquitur Damascenus libro secundo, c. 10. dicens, Per hanc circumsessionem excludi multitudinem Deorum seu Deitatum. Et in hac rati- one maxime persistunt omnes Theologi, quae in se- quenti dubitatione amplius confirmabitur, & expli- cabitur.

8. *Dubium.*

Quaeritur enim vterius, an vna persona sit in alia secundum se totam, an vero solum ratione essentiae. Vt enim hoc ex corporalibus explicemus, duobus modis potest dici vnum corpus esse in alio. Primo, secundum se totum, quod vocatur per se primo, sicut aqua est in vase, vel in loco adaequato. Alio modo tantum secundum partem, vel homo dicitur esse vbi habet pedem, licet non habeat ibi totum corpus. Sic ergo inquiritur, an vna persona secundum se totam, id est, etiam secundum suam proprietatem, vel tan- tum per naturam, quasi per partem (nostro loquen- di modo) sit in alia. Hentius enim in summa arti- culo quinquagesimo tertio, quae. tertia, & Quodlibet. 5. quae. 6. & Durandus in 1. distinction. 19. dicunt, vnam personam esse in alia solum posteriori modo. Primo, quia Paternitas, vt sic, non potest esse in Filio, alias Filius esset Pater. Secundo, ait Durand. quia persona ratione suae proprietatis est id, in quo est alia, ergo non potest esse ratio essendi in alia, quia haec habitudines sunt oppositae, & ideo non potest ea- dem relatio esse fundamentum vtriusque. Tertio, videntur huic sententiae fauere Patres, qui totam rati- onem huius circumsessionis dicunt esse naturae vnitatem.

9. *Resolutio.*

Nihilominus dicendum est. Vnam personam per se primo, & secundum se totam esse in alia, ita vt licet vnitatis essentia sit vinculum, & quasi proxima ratio istius inexistenciae; non tamen in sola illa consistat, sed ratione eius etiam relationes ipsae in se inuicem exi-

stant. Quae est sententia communior Theologorum in 1. dist. 19. praesertim Scoti quaestione prima, qui fu- sius hoc tractat contra Henricum. Idem Bonauent. quaestione 4. Gabriel quaestione secunda, Capreolus quaestione 1. artic. 1. Marfil. quaestione 22. artic. 2. quaestione 1. contra gentes capite nono. Caiet. & alij di- cta quae. 4. 2. artic. 5. Et sumitur ex illis verbis Eccle- siae in quodam hymno. In Patre totus Filius, & totus in Patre. Quibus similia sunt, quae supra citauimus ex Fulgentio, qui etiam addit. Nihil horum extra quemli- bet ipsorum est, significans, personas mutuo se com- prehendere, quia nihil est in vna, quod sit extra a- liam, ad quod requiritur totalis inexistencia, modo explicato. Praeterea Damascenus & Hilarius supra dicunt, vnam personam esse in alia, vt quidpiam sub- sistens in subsistente. Ergo intelligunt non tantum esse secundum naturam, sed etiam per substantiam personalem, de hac enim loquuntur. Ad hoc etiam confirmandum induci possunt verba Christi Ioann. 14. nam prius dixit: Qui videt me, videt & Patrem, & postea subiungit. Ego in Patre, & Pater in me est. viden- do autem vnam personam, videtur alia, non solum quoad naturam communem, sed etiam quoad totum esse personale: Sic ergo vna persona est in alia.

Ratione probatur primo ex Scoto, quia si vna per- sona tantum esset in alia ratione essentiae, non aliter vna persona esset in alia, quam ipsa essentia sit in per- sona, neque alia habitudo significaretur per hanc circumsessionem personarum, quam existentiae Diuinitatis in persona, consequens est falsum: er- go. Patet sequela, quia quando totum solum dicitur esse alicubi, vel in aliquo ratione personae, non ali- ter conuenit toti illa denominatio, quam parti, praeter hoc, quod parti conuenit immediate, & toti rati- one partis: nam in reliquis eadem est ratio. Minor vero patet, tum ex communi modo loquendi Pa- trum, & Theologorum de hac circumsessione, tum etiam, quia essentia est in persona, vt natura est in supposito, vna vero persona est in alia, vt supposito- tum in supposito, sicut loquuntur Damasc. & Hilar. supra citati.

Secunda, & propria ratio huius veritatis mihi esse videtur, quia haec inexistencia mutua nihil aliud esse potest, quam intima quaedam praesentia diuinarum personarum inter se, haec vero habent non solum in essentia, sed in proprijs etiam rela- tionibus. Priorem propositionem indicauit etiam Scotus supra ad 2. Henrici, & circa finem quae. 10. nis. Quam sic declaro, quia haec mutua inexistencia non est sola identitas in natura, sic enim dicentur personae esse vna natura, non vero vna esse in alia. Neque etiam est noua vnio realis inter personas praeter vnitatem naturae, quia nec talis vnio esse posset sine compositione, nec excogitari potest, cur, vel qualis sit. Ergo tantum superest intima praesentia, propter quam dici possint esse inuicem in se. Quod autem illam habeant etiam secundum propria, patet, quia etiam in illis habent im- munitatem, ex qua necessario sequitur, vt sint in- time in se inuicem etiam secundum proprias rela- tiones. Vnde sicut immunitatem habent ratio- ne essentiae, quam includunt, ita ex eadem radice, vt ex propria, & adaequata ratione habent, vt sint in time in se inuicem, etiam secundum proprias rela- tiones.

Atque hinc intelligitur primo, cur haec praesen- tia mutua non addat nouam relationem realem ip- sis personis, (vt tanquam verius suppono.) Rati- o autem est, quia fundatur in eadem immunitate illarum. Vt omittam alias rationes, quae dari so- lent, scilicet, quod relatio non fundat relationem: vel quod talis relatio non est realis, nisi vbi mo- dus praesentiae, in quo fundatur, accidentaliter est, de quo alias. Secundo, intelligitur, cur, licet diuinae personae

personæ inter se habeant relationem originis, quæ est disquarantia, nihilominus quoad hanc denominationem mutæ inexistentiæ, potius intelligantur habere habitudinem æquarantia. Ratio enim est, quia quoad præsentiam, & immensitatem eiusdem rationis sunt. Vnde, si fingeremus, tres personas esse absolutas, & eiusdem naturæ, eundem modum mutæ inexistentiæ haberent.

13. Tercio intelligitur quam sint leuia fundamenta Henrici, & Durandi. Nam propter hanc præsentiam personæ non amittunt distinctionem: & ideo non

sequitur, vnam esse aliam, quamuis secundum propria vna sit in alia. Deinde in hoc genere præsentia nullum est inconueniens, quod eadem relatio sit id, quod est in alia, & in quo est alia, quia & est denominatio similis in vtroque extremo, & in eis habet fundamentum proximum eiusdem rationis, immo vnum, & idem. Et hoc est etiam, quod docent Patres, scilicet, vnitatem naturæ esse rationem proximam huius mutæ inexistentiæ, non vero, quod conueniat soli Deitati: ac non etiam ipsis personis in proprijs earum rationibus.

Finis Libri Quarti de Trinitate.

INDEX CAPITVM LIBRI QVINTI DE TRINITATE.

- C**ap. 1. *Sintne in Deo relationes reales.*
 Cap. 2. *Quot sint intra Deum relationes reales.*
 Cap. 3. *De distinctione relationum personalium à personis.*
 Cap. 4. *De spiratione actiua, an realis ratio sit*
 Cap. 5. *An spiratio sit distincta relatio à personalibus.*
 Cap. 6. *Quod spiratio sit vna simplex relatio.*
 Cap. 7. *De numero diuinarum relationum.*
 Cap. 8. *De comparatione relationum in proprijs earum conditionibus.*
 Cap. 9. *An relationes diuinæ sint notiones.*
 Cap. 10. *De numero notionum.*

LIBER QVINTVS DE RELATIONIBVS DIVINIS, AC NOTIONIBVS.

MActenus explicuimus mysterium Trinitatis, solum confusam quandam noticiam tradendo, quæ vix transcendit declarationem quid nominis, & ostensionem, quod tale mysterium in Deo, & intra Deum sit, salua Dei simplicitate, & vnitare: nunc ad inuestigandam eiusdem mysterij distinctam, & explicatam cognitionem, quantum caligo vix patitur, necessarium est proprietates omnes personarum formaliter inuestigare, earum proprias rationes præcise, ac distincte explicando. Hoc autem præstabimus, considerando prius hæc omnia prout omnibus personis possunt esse communia: Deinde descendendo ad singulas personas in particulari, & prædicata omnia, quæ singulis, vt propria tribuuntur, considerando. Sunt autem varia nomina abstracta, & communia omnibus personis, quibus hæc proprietates significantur, vni est ipsummet nomen *Proprietatis*, quod in quadam significatione generale est, & cæteris omnibus commune. Quod sub ea ratione, speciali consideratione non indiget, quia in alijs rationibus specialioribus explicabitur, & illis cognitis cognosce-

tur. Primum igitur speciale nomen videtur esse *Relationis*, deinde nomen *Notionis*: tertio, *Originis*, quarto, *actus notionalis*: quinto, *Personalitatis*, quæ solet etiam *Proprietatis* appellari, sumpta hac voce in significatione magis restricta, & appropriata. Igitur in proximè sequentibus tribus libris explicabimus mysterium, declarando, quid rei sub sit his vocibus, & quomodo inter se conueniant, vel distinguantur, & quid ad constitutionem, vel distinctionem diuinarum personarum conferant. Atque in præsentis libro simul de relationibus, & notionibus dicere proponimus, quia nihil fere inter se differre existimamus, vt videbimus. Disputauit autem de illis Diuus Thomas 1. part. quæst. 28. & 32.

CAPVT I.

Sintne in Deo relationes reales ad intra.

Non tractamus hoc loco de relationibus Dei ad creaturas, quas rationis esse supponimus, quia illæ non conueniunt Deo, vt Trino: nec ad explicandum